

est Moyses ad Chore et ad omnem multitudinem: Hoc igitur facite: tollat unus quisque thuribula sua, tu Chore et omne concilium tuum, et hausto cras igne ponite desuper thimiama coram domino et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus. Sequitur¹: Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia. Set et ignis egressus a domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Locutusque est dominus ad Moysen dicens: precipe Eleazaro filio Aaron sacerdotis, ut tollat thuribula, que iacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat, quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum, producatque ea in laminas et affligat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum domino et sanctificata sint. Qui ergo contra legis statuta incensum et thimiama optulerunt domino, pro temeritate sua debita ultionis vindicta percussi sunt. Thuribula vero, que temerario tactu prophanata erant, in mortibus peccatorum dicit esse sanctificata. Non dicit ea iterum sacrari oportere, set in mortibus peccatorum expiata digno expiationis atque penitentiae fructu dicit esse sanctificata.

30 Ita igitur et quando a symoniacis loca consecrantur, ipsi pro temerario ausu debita ultionis vindicta percutiuntur, ea vero per sanctificate aque aspersionem ab episcopis reconciliata debito iure sanctificantur. Similiter ordinati a symoniacis pro temeraria^a presumptione sacrorum digna ultionis vindicta percutiuntur et post peractum penitentiae tempus digno penitentiae fructu quasi quodam igne anxii spiritus sanctificati sola per manus episcopi impositionem reconciliationis benedictione indigent. Sanctificatio quidem nulla existit nisi per fidem dominice passionis et assignationem dominice crucis. Sicut enim in veteri testamento sine sanguinis effusione non fiebat sanctificatio, ita et in novo testamento sine crucis assignatione nulla fit sanctificatio. Crux quippe ipsius dominice mortis est signum atque ostensio.

31 Hac igitur ratione multum distat inter gentilem et symoniacum. Gentilis quando sacrat neque ipse est qui sacrare debet neque sacrat cui debet immo cui non debet, ydolo videlicet et omnino aliter quam debet. Symoniacus quando sacrat licet ipse

^a) temerario

¹) Num. 16, 31. 35—38.